



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Sanctis

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXX

Vt tenebras peccatorum fugere, & in diuinæ gratiæ lumine ambulare
debeamus: item de peccati nocumentis, & de gratiæ effectibus, deniq[ue]
de laudibus S. Crucis, Sermo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47060)

T. VI
22

Cæcitas ho-
minu huius
seculi quan-
ta sit.

Iob 21.

Iob 10.

Matth. 1. 13.

Deut. 31.

Ioan. 1.

Credere in
Christum
quid sit.

Fides vera &
Christiana
quænam cai-
gat.

Philip. 4.

Marc. 9.
Mat. 17.

merent sanè, & suæ salutis consulere. Sed quia in tenebris ambulant, nesciunt quo vadunt. Credunt quidem iustum esse Deum, & impios pro suis maleficijs puniri apud inferos, sed hæc velut in somno aspiciunt: itaq; nihil sentiunt. Postea verò ubi merguntur in tartara, tum demum experimur, quam malum sit in ignorantia & peccatorum tenebris degere. Talibus hominibus plenus est mundus. Rident, saltant, cachinnantur, comestationibus & potationibus vacant, serena & tranquilla atque segura eis sunt omnia, & vt diuus Iob ait: *Domus eorum secura sunt & pacata, & non est virga Dei super illos, Egrediuntur quasi greges parui: eorum, & infantes eorum exultant iustibus. Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in pûcto ad inferna descendunt, vbi nullus est ordo, sed horror & luctus & vlutatus sempiternus, fletus oculorum & stridor dentium. Quæ si iam serio præuidere vellent, melius sibi prospicerent, attenderet illa dicta Moyfi, imo Spiritus sancti per Mosen, paternè peccatores omnes adhortantis: *Vitam saperent & in illa gerent ac nouissima præuiderent.* Videamus nunc reliqua.*

Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis.

Hoc est, dum Christum habetis, credite in Christum, vt filij & membra Christi sitis. Christus enim est lux mundi, in quem tamen Iudæi nulla ratione credere voluerunt. Sed quomodo credemus in Christum? Credemus scilicet eum esse verum & viuum Deum, itemq; hominem verum, & qui tantopere omne execretur peccatum, vt maluerit in seipso, hoc est, in natura humana à se assumpta peccatum Adæ tam dirè vlcisci, quam illud impunitum relinquere. Non enim alia nobis potuisset ratione succurri. Atque ex huius consideratione firmissimè nobiscum statuemus, nullum vaquam, præsertim mortiferum in ipsum peccatum admittere, ne tam grauer eum offendamus: maximèq; omne peccatum horrebimus, vt pote illi tam vehementer inuisum. Hoc enim ad veram & Christianam fidem pertinet, vt vitemus omnia, quibus offenditur Deus, & faciamus, quæ ipse exigit à nobis. Noli mihi dicere: Nō possum, quia infirmus sum. Audi Apostolum: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Si habes veram fidem, confidas Deo, quod pigri conatibus tuis nunquam deerit. Tantum conare, & quoddam indicas bellum prauis, corruptisq; meribus tuis: simul diuinum implora auxilium, & senties omnia esse possibilia credenti. In Deo meo, ait Propheta, transgrediar murum.

SERMO IN EADEM FESTIUITATE.

Vt tenebras peccatorum fugere, & in diuina gratie lumine ambulare debeamus: item de peccati nocuentis, & de gratie effectibus, denique de laudibus sanctæ Crucis.

Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebra comprehendant. Ioannis duodecimo. Hæc tota ratio fuit dilectissimi Domino nostro Iesu Christo humanam suscipiendi naturam, vt à peccati morte nos liberaret, & vt à peccatis ad virtutes verbis & exemplis suis nos reuocaret. Hæc tota virtutis nostræ summa est, hac vna ex causa vitam istam temporalem ducimus, hot

hoc denique sine creati sumus à Deo & in hunc terrarum orbem delegati, ut vitemus peccata, & iustitiam virtutesq; colamus. Sed quid ista nosse iungat, nisi & re ipsa præstentur à nobis? Nostri voluntatem Dei: fac illam, & viues. Si non facis, impius es, & ingratus. Ambulate, ait Dominus, dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Dicit hoc vnicuique homini Christiano salutaribus vñdis sacri baptismatis expiato, qui simul atq; baptizatus est, accipit Spiritum sanctum & lumen diuinæ gratiæ, quo fretus possit vitiorum tenebras euadere. Hortatur ergo eum, ut ambulet in via mandatorum Dei dum lucem habet, ne si exera hanc aberrer viam, luce priuetur, & peccati tenebras incurrat. Videant hic parentes, quemadmodum suas proles à teneris annis probè & piè instituât, ut eos doceant viuere iuxta voluntatem Dei, non huius mundi grauißimos mores: doceant eos totos se ab ipsis incunabulis ad pietatè componere, praua consortia & mundi huius inquinamenta deuitare, innocentiam in baptismo recuperatam toto vitæ tempore illæsam & inuiolatam custodire. Hoc est enim ambulare in luce, & peccati nescire tenebras. O felices illas animas, quæ innocentia vestem semper incontaminatam seruant, & fidem Domino in baptismo præstitam nunquam violant. Quod cur hodie tam raro & vix vnquam præstetur, non minima causa est, negligentia & immodica indulgentia parentũ, dum non curant proles suas cõuenienter Dominicis præceptis educare, imò etiam sæpe eis laxant habenas ad quæuis perpetranda mala: quorum erit certè grauißima & iustissima damnatio, quandoquidem peccata omnia filiorum & filiarum in ipsos redundabunt. Sed & alijs omnibus dicit Dominus, ut ambulent dum lucem habent, id est, habere possunt diuinæ gratiæ, ne sempiternis tenebris inuoluantur, ad quas certum est deduci eos omnes, qui in peccati tenebris moriuntur. Caueamus igitur dilectissimi tenebras mentis, id est, peccatum quo animus excæcatur, ne ruamus in foveam mortis æternæ, quo nunquam potest vllum lumen penetrare, sed est chaos reteritimum & obscurissimum, densissimis semper nebulis inuolutum. Et ut libentius caueamus peccatum, cogitemus, certumq; habeamus nihil illud aliud esse, quàm grauißimum Dei contemptum, vilipensionem immenßæ bonitatis diuinæ maiestatis iniuriam infinitam, diuinæ iustitiæ incuriam, diuinæ sanctitatis offensionem, omnipotentis creatoris repudiationem, mentis incomprehensibilem stoliditatem & amentiam, gratiæ & virtutum omnium exterminium, summi boni priuationem, æternæ felicitatis iacturam, intellectus obscuracionem, peruersionem voluntatis, venenum diaboli, vitium tartareum, damnationis æternæ aditum, causam omnis miseriæ, peccatoris mortem & exitium, gemen demonũ, osium abyssi, hominum insipientiam, rete ac laqueum tentatorum, æmulationem malignorum spirituum, horrorem & detestationem Angelorum, horrendam caliginem, maximam turpitudinem, fetorem intolerabilem, summam & extremam vilitatem, ferocissimam beluam, immitissimam feram, damnnum inæstimabile, grauißimum nocumentum, & malum omnium longè maximum. Tolle peccatum è mundo, & nihil vsquam erit quod quenquam malè habeat. Tolle peccatum è mundo, & omnes felices ac beati erimus.

Proles vñ
parentes su-
as probè in-
stituunt.

Peccati esse-
ctus & mon-
stra qualia.

Commemorabo hic decem peccati nocumeta, eo duntaxat, ut maiorè ca-

dddd z

pia-

T. VI
22

Peccatorum nocentia decem quæ sint. **Primum** summo bono. **Paradigma.** **Facit Deo odibilem.** **Sapient. 4.** **Psalm. 6.** **Fæcit diaboli seruum.** **Eccles. 17.** **Spoilat omni gratia, & virtute ac merito.** **50.** **Exatitudine eterna punit.** **Animum deorsum trahit.**

pianus peccandi nauseam & horrorem. Possent quidem innumera adferri damna peccati, sed, vt dixi, decem duntaxat hic enumerabo. Primum est, quod hominem priuat summo bono, id est, Deo Opt. Max. in quo vno tota consistit salus & beatitudo mentis creaturæ, qui solus potest totum illius explere desiderium. Si ergo sæpe minimarum iactura rerum ita nos excruciat, vt ipsa quoque vita & lux nobis fastidio sit, cur tam parum contristat nos mortiferi cuiuscunque peccati perpetratio? Contigit quandoque sanctum quendam virum transire aedes cuiusdam sceminæ, amarissime plorantis. Vnde pietate moros, cogitabat adire illam, & consolari. Cumque ingressus domum, interrogasset quid haberet, didicissetque eam ob acum amissam ita plangere, statim abiit, indignum iudicans, vt eam pro tam vili re consolaretur. Si illa mulier sic fleuit ob tantillæ rei dispendium, quæ est ista amentia, vt nos summi boni iactura tam nihil affligat? Hocine est diuinam vereri, amare, honorare maiestatem, plus dolere, si quid temporarium contingat amittere, quam si illius gratiam peccatum admittendo perdamus? Secundum est, quod hominem reddit Deo summe inuisum & contemptibilem. Abominatio est enim Deo impius & impietas eius. *Odisti*, ait Prophetata, *omnes qui operantur iniquitatem*. Quid autem æquè potest esse horrendum, quam odiri & despici ab Omnipotente Deo, ex quo tanquam è fonte emanat, quicquid est gratiæ & amabilitatis in creaturis? qui est summa & infinita pulchritudo, sanctitas, dignitas, maiestas: cui soli placuisse etiam si creaturis omnibus displiceas, abundè magna felicitas est: cui vni displicuisse, etiam si omnibus placeas, extrema miseria est. Quid est enim, quod possit animam aliquo vero afficere gaudio, quando Deum habet inimicum, & alienum? Tertium est, quod subijcit hominem diabolicæ tyrannidi ac seruituti, facitque propriæ iniquitatis mancipium. Quo quid potest homini accidere indignius? O homo factus ad imaginem Dei, redemptus Christi sanguine, cur in tantum te abijcis, vt non pudeat te esse seruum demonum, quibus nihil vilius Mundus habet? *Beatus*, ait Sapiens quidam, *qui non seruat indigni se*. & tu qua ratione beatus esse queas, qui vilissimis demonibus te subijcis?

Certe nisi planè in furiam versus esses, non vsque adeo te hostium rorum potestati traderes. Quartum est, quod omni gratia, virtute & merito spoliat hominem, redditque eum Deo & sanctis Angelis tanquam cadaver putridum summe abominabilem. Sicut enim corpus mortuum grauissimè olet: ita anima vita gratiæ destituta, pessimè foetet Deo. Et tamen videas hodie miserimos homunciones vt placeant hominibus varios corpori suo adhibere odores: cum interim summæ foeteant coram Deo, nec curent tamen. Ostultri & insani, cur non potius animas vestras virtutum impletis odoribus, vt possitis placere illi, qui vos verè felices & beatos solus potest efficere? Quintum est, quod sempiternam auferet homini beatitudinem: quæ tamen reuera tam ingens, multiplex & infinita est, vt si non nisi vna posset obtineri die, merito illius causa omnes vitæ huius voluptates despici, & aduersa omnia æquanimè ferri deberent. O cæcas hominum mentes, & pectora cæca. Sextum est, quod ceu pondus grauissimum, hominem deorsum præmit, nec sinit sursum animum attollere, facitque tardum ac debilem & dila-

& difficilem ad exequendas virtutum actiones, promptum autem & propensum ad appetenda & magnificanda vilia isthæc & infima terræ bona: ita vt rectè possit porcus dici, qui nunquam oculos sursum erigit, sed semper prono vultu in luto & sordibus volutat. Vnde Propheta: *Homo, inquit, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Qui sit, quod plerisque adeo desipiunt diuina ac spiritalia, adeo sapiunt vana & terrena? Veique non aliam ob causam, nisi quod animus vitiorum humoribus corruptus, non habet sensum integrum, aut verum iudicium. Septimum est, quod suo pondere mox ad alia trahit vitia, nisi cito per penitentiam aboleatur. Hoc videmus quotidie in miseris & occæcatis hominibus, qui vbi semel vitijs sese dederunt, in tam profundas merguntur immanium peccatorum voragine, vt vix spes sit eos vnquam posse redire ad vitam. Quos licet millies hortaris vt respiscant, nihil nisi aëra verberas: imo rident admonentem, & infelices putant quotquot ipsis similes non sunt. Octauum est, quod animum reddit omni saxo duriorum, prauaque consuetudine in tantum obligat & afficit, vt diuinæ gratiæ vix possit capax fieri, maximè vbi versum est in longam consuetudinem. Tales enim difficile corriguntur, de quibus Hieremias ait: *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Nonum est, quod peccantem reddit tartaro assimilem. Vt enim tartarus est habitatio dæmonum, & chaos totius miseræ, ac abyssus tenebrarum: ita peccator est cubile dæmonum, subiectum iniquitatem, barachrum vitiorum, estque in eo sicut in inferno ignis auaritiæ, feetor luxuriæ, tenebræ ignorantix, vermis conscientix, sitis concupiscentiæ, dæmones per effectum, &c. Decimum est, quod æternæ facit damnationi obnoxium. Quæso, si quis vel vna die nudo corpore in ardenti fornace iacere deberet, quid non ageret ille, vt talem penam possit euadere? Cur ergo tam parum cauetur peccatum quod nos mittit in stagnum sulphure & pice tartarea semper arsurum? Quod si isthæc omnia peccati nocumenta nihil nos mouent, certum est iam tenebris peccati nos esse inuolutos: sed tamen dum adhuc dies gratiæ agitur, licet inde emergere. Itaque abijciamus eas actûrum dilectissimi, & in lumine virtutum & gratiæ ambulemus. Atque vt gratia & virtus magis afficiamur, illius itidem decem effectus succinctim recensito.

Primus est, quod à peccato originis in baptismo nos eripit. Non enim purgamur ab illo peccato, nisi per virtutis infusionem. Secundus est, quod animum firmat, stabilis & corroborat in bonis. Vnde Apostolus: *Optimum est gratia stabiliri cor.* Tertius est, quod munit hominem aduersus quauis vitia, quasuis tentationes carnis, mundi & dæmonum, prauorumque hominum impia exempla, pestiferas suasiones, & quælibet offendicula. Quartus est, quod animam pulcherrimè vestit & ornat, vt possit esse grata & amabilis Deo sponso cælesti, qui sese animæ coniungere non vult, quam diu vitiorum sordibus est polluta, & virtutis inops. Quintus est, quod despondet animam Christo, quatenus conuenit vitæ præsentis ac fidei. Sextus est, quod efficit hominem Dei filium adoptiuum, eiq; super omnia adherentem. Septimus est, quod facit hominem Dei templum, thronum ac habitaculum, in quo delectat commorari Spiritum sanctum, qui odit sordes, nec

Psal. 48.

Diuina & spiritalia cur multis adeo desipiant. Trahit suo pondere ad alia vitia & peccata.

Animum saxo duriorum reddit.

Hierem. 5. Dæmonibus adsimilat.

Damnatio æternæ facit obnoxium.

Gratiæ diuinæ effectus decem qui sint.

Hebr. 19.

Sapient. 1. potest.

T. VI
22

potest habitare in corpore subdito peccatis. Octauus est, quod reddit hominem paradiso terrestri confimilem, utpote sanctis cogitationibus floridum, pijs meditationibus virentem, sanctis desiderijs amicum, bonis actibus fecundum, & optimæ existimationis ac integræ famæ odore gratissimo fragrantem. Nonus est, quod etiam cælesti paradiso eum facit similem, utpote Deum per fidem, & sapientig donum ac mysticam theologiam, quantum factus est in hac vita, sincerè contemplantem, perpetuo laudantem, in prosperis & aduersis in illo se oblectantem, atque prompta deuotionis alacritate hilariter ei obsequentem, ac denique omnes amantem, cum omnibus & erga omnes pectoris pacem & fraternam concordiam inuolabiliter retinentem. Decimus est, quod homines perducit ad cælestis patriæ felicissimam hereditatem, & Christi Iesu consortium faciens ex eis hæredes Dei, Christianis coheredes. Quis iam non libenter velit virtutis & gratiæ amplecti lumen, & vitare peccati tenebras, cognitis tot virtutum incommotis & noxijs virtutis, itemq; tot virtutis & gratiæ præclaris effectibus? Sed quia Exaltationis S. crucis festum agimus, etiam de illa aliquid nobis dicendum est. Quid enim S. crucis festa celebremus, in qua propter nos immolatus est Christus, per quam abolita sunt delicta nostra, Dei ira mutata est in clementiam, cum Deo reconciliati sumus, patefacta est paradisi tor annorum millibus clausa, & igneo gladio vallata, antiqua nobis patria reddita, paterna ciuitas demonstrata, domus pristina est restituta? Crux altare nouum, in quo nouum illud sacrificium, nempe Christus Filius Dei oblatus est: imo & ipse sese obtulit: siquidem & sacrificium & sacerdos fuit: sacrificium secundum carnem, sacerdos secundum spiritum sanctitatis. Crux est signum illud filij hominis, quod in iudicij die apparebit, & quando sol & luna & stellæ omnes non dabunt lumen Iudicij aduentu & claritate obscuratæ. Crux miro splendebit lumine, ut confundatur impij qui Dominum crucifixerunt, & pro ipsis crucifixo ingrati fuisse gaudeantq; pij per crucem euecti ad gloriam. Crux Christi est triumphale vexillum, omnium æternæ beatitudinis gloria sublimandorum, nedum hominum, sed etiam angelorum. Namq; per crucis Christi, ceu mediatoris, meritum non solum homines, sed etiam angeli creduntur obtinere gloriam æternæ vitæ, quam certè nulla creatura suis meritis absque condigno mediatore adipisci potuisset. Vnde quod angelorum pars magna stetit, nec cõsensit angelis desertoribus, potissimum merito crucis Christi tribuendum est, per quod confirmati sunt, ne cum apostatis illis descerent ab obedientia, quam debebant suo & omnium conditori. Siquidem in Apocalypsi, vbi describitur pugna Michaelis & angelorum eius cum dracõne & affectis illius, euidenter expressum legimus: *Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni*: quod nullius dubitat ad meritum passionis Christi referendum, quæ in cruce consummata est. Itaque pie credimus, sicut homines à suis culpis per Christi merita sunt liberati, ita & angelos per eadem à ruina esse præseruatos. Siquidem & angelis necessarius erat mediator, qui eis à Deo gratiam mereretur. Quod quidem excellentissima charitate fecit Dominus Iesus, in cruce triumphans de aduersarijs suis, fuso pro omnibus sanguine suo, cuius meritis etiam angeli seruati sunt. Vnde etiam ipsi cruce Christi tanquam vexillo & communitrophæo vtuntur. Crux Christi est

De S. cruce festum celebrandi ratio.

Laudes S. crucis quoniam nam sunt. Math. 25. Ioc. 2.

S. crucis merito quosdam angelorum confirmatos.

Apo. 12.

commu-

commune meritum, & communis thesaurus angelorum & hominum electorum. Vnde etiam Apostolus ait: *In Christo complacuit omne plenitudinem diuinitatis inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue que in terris, siue que in caelis sunt.* Quamobrem nedum homines sancti, sed & angeli gloriantur in cruce Domini nostri Iesu Christi multo felicitius & securius, quam in proprijs meritis. Siquidem in ipsa cruce benignissimus Saluator omnes thesauros diuinæ sapientiæ & meritorum angelicæ humanæque naturæ communicandos collocauit.

Col. 1.

Gloriari non modo homines verum & angelos in cruce.

Cruce ut fit gaudium commune hominum & angelorum. Psalm. 121.

Præterea crux Christi est commune gaudium angelorum & hominum, per quam ceu firmissimum ac inseparabile glutinum creaturæ rationales, angeli scilicet & homines copulantur, vt ex vtrisque construat & impleatur superna Hierusalem, cuius est participatio in idipsum, vbi gaudent omnes gaudio inenarrabili & honorato, per crucis Christi meritum potissimè conciliato. Nam alioqui neque angelica, neque humana merita ex æquo respondere possunt præmio felicitatis æternæ, quod Deus est, quandoquidem illa finita sunt, Deus autem infinitus est, nisi fulciantur merito Iesu Christi crucifixi: quod quidem sicut rationem meriti obtinet iuxta assumptam humanitatem & crucem, ita est etiam omnino infinitum ob coniunctam diuinitatem. Non enim Christus homo solus est, sed Deus & homo. Atque hoc ipso ex æquo iustitiæ lætæ infinito præmio respondet meritum infinitum: & infinito merito redditur præmium infinitum. Itaque hoc crucis Christi merito freti caelestes illi spiritus confirmati sunt in gloria, ita vt nunquam possint inde excidere. Nec mouere quenquam debet, quod id longè ante Christum crucifixum contigerit. Nam & hominibus illis, qui Christi aduentum præcesserunt profuit idem Christi meritum, non minus quam qui post nati sunt. Ita & angelicis spiritibus: qui deinde promptissima beneuolentia ob voluntatem Dei seruiuerunt hominibus, vt & ipsi salui fiant, scique crucis Christi merito vtrique in commune gaudeant, & felicissima vniione nectantur. Cuius quidem figuram habuisse videtur crux ipsa Domini Iesu, ex duobus lignis compacta: altero recto, altero transuerso: quorum illud naturam angelicam ob eius stabilem ac immotam rectitudinem, illud verò naturam humanam ob eius miseram euerisionem significat. Ipsa autem ligna mutuo sibi iunguntur in medio, hac nimirum significatione, per Christum crucifixum virosque & angelos & homines adunandos, angelica ruina per homines instaurata, & hominis peccato prorsus abolito & expiato. Rabanus Maurus Moguntinensis olim episcopus de laudibus S. crucis opus confecit mirificum versu & prosa, vbi reuera diuino vsus ingenio multa scribit in laudem crucis: ex quibus pauca hic referemus. O crux sacra, inquit, quæ concedis fidelibus ante Christi tribunal bonorum operum fructus percipere. O crux sacra quæ disruptis inferni claustris plebem sanctorum eripueras, & in caelo collocaueras. Salue crux veneranda Dei, quæ sapientia, lumen & doctrix es orbis terrarum: quæ vera lux, & amica virtus, & clara philosophia apud exlicolas terrigenasque indefinenter viges: etiam apud exercitus angelorum, qui in claritate lucis æternæ manent: & apud homines, quibus salus & pulchra renouatio post diuinam infirmitatem, & antiquam peccatorum vetustatem extitisti.

Meritum Christi quibus ante ipsius incarnationem profuerit.

Figuræ crucis Christi mysterium quod.

Rabanus de laude S. crucis mirificum librum quo ingenio confecit.

T VI
22

Philipp. 2.

Ioan. 1.

Apo. 12.

Ioannes
Chryso-
st. de laude S.
crucis quid
scenferit.

D. Thomas
Kempis
S. Crucis my-
steriū vti vo-
catur arbor.

Te totus orbis beatificat. Te cælorum agmina collaudant. Per te in nomi-
ne Iesu, qui cuncta mundi sceptrâ simul & regum curuat imperia, omne ge-
nu suæ voluntate, siue vi stetit, cælestium videlicet, terrestrium & in-
fernorum. At Michael dux & princeps plebis Dei, te confessione memorat
cuncta cælorum sydera virtute regere & potestate tegere, eo quod ara Dei
sis, in qua immolatus est agnus, qui abstulit peccata mundi: quo clypeo be-
nevolentia ipse sedulo exultat: qua confessionis framea fidens, bellum init
contra draconem horridum, antiquumque serpentem & de hoste trium-
phans ouat. cum sanctorum agminum millibus, hoc sibi præmij loco pe-
tens, vt tuam laudem perpetuo ante tribunal decantet Domini. O inclita
crux Domini, aulæ Christi preciosum fundamentum: tu es pulchrior fiori-
fera specie omnium germinum: tu excelssior cædris Libani: tu preciosior
albo lapide Pario. Hæc ille vir doctus & pius. Chrysofomus quoque pul-
cherrimis S. crucem euellit encomijs, quæ ob gratiam pij lectoris huc ad-
scribere non pigebit: Crux, ait, spes Christianorum. Crux resurrectio mor-
tuorum. Crux cæcorum dux. Crux desperatorum via. Crux claudorum
baculus. Crux consolatio pauperum. Crux refrenatio diuitum. Crux de-
structio superborum. Crux malè viuientium poena. Crux aduersus dæmo-
nes triumphus. Crux deuictio diaboli. Crux adolescentum pædagogus.
Crux sustentat o inopum. Crux spes desperatorum. Crux nauigantium gu-
bernator. Crux periclitantium portus. Crux obsessorum murus. Crux pa-
ter orphanorum. Crux defensor viduarum. Crux iustorum consiliarius.
Crux tribulatum requies. Crux paruulorum custos. Crux virorum caput.
Crux senum finis. Crux lumen in tenebris sedentium. Crux regum magnifi-
centia. Crux scutum perpetuum. Crux insensatorum sapientia. Crux liber-
tas seruorum. Crux Imperatorum philosophia. Crux Iex impiorum. Crux
prophetarum præconatio. Crux annunciatio Apostolorum. Crux marty-
rum gloriatio. Crux monachorum abstinentia. Crux virginum castitas.
Crux gaudium sacerdotum. Crux Ecclesiæ fundamentum. Crux orbis ter-
ræ cautela. Crux templorum destructio. Crux idolorum repulsio. Crux
scandalum Iudæorum. Crux perditio impiorum. Crux inualidorum vir-
tus. Crux agrotantium medicus. Crux emundatio leproforum. Crux para-
lyticorum requies. Crux esurientium panis. Crux sitientium fons. Crux
nudorum protectio. Hæc ille. De hac denique S. cruce religiosus quidam
& venerabilis pater ita scriptum reliquit: Nobilissimæ & felicissimæ arbo-
ris S. crucis radix est humilitas & paupertas: cortex, labor & poenitentia: ra-
mi, misericordia & iustitia: folia, veritas & doctrina: flores, vera honestas
& pudicitia: odor, sobrietas & abstinentia: pulchritudo, castitas & obedien-
tia: splendor, fides recta & spes firma: fortitudo, magna animas & patientia:
longitudo, longanimitas & perseverantia: latitudo, benignitas & concor-
dia: alacritudo, charitas & sapientia: dulcedo, amor & læticia: fructus, salus &
vita æterna. Hæc est arbor fecundissima, super omnes arbores paradisi be-
nedicta. Hæc animam deuotam piæ compassionis affectu sæpe compungit,
sæpe lachrymare facit, cum imaginem crucifixi aspicit: sæpe cor amanti
conuulnerat, cum Christum pro se vulneratum pensat. Beatus homo & fi-
delis seruus ille, qui sacra Iesu vulnera, & crucem in corde suo iugiter por-
tat, &

rat, & quicquid occurrit aduersi, de manibus Dei accipit & pie sustinet, ut crucifixo pro se Domino suo vel in modico conformis fiat. Quisquis in cruce Christi gloriatur, & omnia propter Christum contemnit, hic interim à Christo in praesenti consolabitur, & in futuro caelestibus bonis replebitur, ac sine fine cum Christo & sanctis omnibus felicissime gaudebit. Quae nobis prestare dignetur Christus Iesus pro nobis in cruce passus & mortuus, cui est omnis honor & gloria in secula seculorum, Amen.

IN FERIIS D. MATTHAEI APOSTOLI ET
Euangelistae, Epistola Beati Pauli Apostoli, ad
Ephesios, cap. IV.

Retres unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus* (Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terra? Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes caelos, ut adimpleret omnia.) Et ipsis dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas: alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in edificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram et aetatis plenitudinis Christi. Psal. 67.

PARAPHRASIS IN EANDEM EPISTOLAM.

In hac Epistola, quae commodissime legitur in festo S. Matthaei Apostoli & Euangelistae, ut ipsa verborum facies indicat, Paulus Apostolus illam Domini parabolam interpretatur, qua dicit hominem quendam peregrinum profectum, vocasse seruos suos, & distribuisse illis bona sua: & vni quidem talenta quinque, alij duo, alij vnum tradidisse, id est, alijs atque alijs alia & alia plura & pauciora dedisse gratiae munera, non pro sua vel largitate, vel parcitate, ut ait D. Hieronymus, sed pro accipientium viribus. Ait ergo Apostolus: Vnicuique nostrum data est gratia talis ac tanta, qualem & quantam placuit Deo dare nobis: qui utique dat omnibus affluenter & non improperat. Nec est cur quisquam alteri plura ac potiora adepto inuideat: quandoquidem Deus est qui dona sua prout vult impartitur. Quidni enim liceat illi facere quod vult? Dedit nouissimis in vinea laborantibus eundem denarium, quem & primis. Et cum quidam inde murmuraret, audiuit: Amice non facio tibi iniuriam. An non licet mihi facere quod volo? Quid enim ego aliud velle possum, nisi quod optimum sit? Non tamen ita nobis sua largitur dona, ut nos velit ociosos agere. Nam & seruus ille, qui talentum acceptum duplicare, & pij ac liberalis domini sui beneficentiae cooperari noluit, non solum talento priuatus, sed etiam in tenebras aeternas demersus est: ne quis de misericordia Dei securus ac interim pigritiae & negligentiae deditus, negligat aut contemnat seruare praecipia Dei. Quod autem data sit nobis gratia Matth. 25.

eeee tia iux-